

1726 23  
21

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H T DECANVS  
**GODFRID· LVDOVIC  
MENCKEN D**


P. P

COLLEGIORVM QVAE VITEMBERGAE  
FLORENT IVRIDICORVM NEC NON IVDICII  
PROVINCIALIS IN MARCHIONATV LVSATIAE  
INFERIORIS ASSESSOR

*LECTORI BENEVOLO*

S. P. D







I. N. I

**C**um in ea, quam , mense Decembri Anni 1723, proposui, dissertatione de liberorum & militum, ob defectum consensus parentum, & chiliarchae, nuptiarum nullitate, in casu in th. 22. formato, num chirurgus militaris pariter, chiliarchae consentientis in nuptias, testimonio opus habeat ? dubius haeserim, & quaestione ipsius determinationem ab Clementissimo & Potentissimo Legislatore expectare, declarauerim, nunc quae insecuta sit decisio, hac mihi scribendi occasione data, publico communica-bo. Quod Consistorii Ecclesiastici relationem insecum est Rescriptum Regium , datum Dresdæ die XIII. Dec. Anno 1723. non modo die 18. Martii anni 1719. emissum confirmat, sed ita quoque illud declarat, ut chirurgus militaris, priori editio comprehensus, intelligendus sit. Ipsa uerba apponam :

Nun dann solch Ausschreiben von Feldscheern allerdingz mit zuverstehen/ und dergestalt dieselben so wenig als andere der Miliz zugehane Personen/ ohne ihrer comman-

A 2

direnden Officier Erlaubniß/ sich mit Bestande verloben können. Als ist unser Begehrē hiermit/ ihr wollet euch also darnach achten ic. ic.

Haec euincunt nullitatem sponsaliorum, imo ipsarum consummatarum nuptiarum, ex parte chirurgi, qui mille militum tribuni, germ. Obristen/ imperio subest, nec ueniam eum in finem antea impetravit. Nam hoc ex Mandato dicto anni 1709. clare patet :

Das fünftig hin keine Verlobung/ vielweniger copulation, vom Wachtmeister und Sergeanten an/ bis auf den Gemeinen inclusive, Platz finden/ und gültig seyn soll.

Nec distinctio hic attendenda; num chirurgus militum chiliadi, vel tantum centuriæ, adscriptus sit? Siquidem uterque chiliarcham suum superiorem, intuitu totius chiliadis, agnoscit & reueretur, ideoque ab hoc obtainenda est requisita concessio. Formale, ut legitima euadant sponsalia, ac nuptiae, quae sequuntur, in eo consistit, ut licentia, a chiliarcho impetrata, ante sponsalia, quam celebrentur, demonstretur. Iurata ut sit, non requiritur, Autographo legionis ducis iure standum. Copia autem neque simplex, neque uidimata admittitur, nec sola nominis subscriptio sufficit, cum secundum Mandatum d. A. 1700. eine ausdrückliche authentische und eigenhändig vollzogene Erlaubniß requiratur. Totum igitur, in quo se fundat chirurgus, qui ad militum chiliadem pertinet, attestatum, ueniam continens, a phylacho debet scriptum subscriptumque esse.

Hinc



Hinc in confessu militari iudiciali expedita concessio uix sufficiet. Interim qui a chiliarcho facultatem, sponsalia ineundi, obtinuit, dubio procul nuptias quoque celebrare poterit. Qui enim in desponsationem consentit, a nuptiis dissentire non potest. Mandatum d. a. 1709. verbis:

Das künftig hin keine Verlöbnis vielweniger co pulation &c.

aeque sponsalia ac nuptias, deficiente concessione, damnat. Imo ipsum matrimonium, per sacerdotalem copulam consummatum, pro eo, quod non ualet, reputare, & per bonam consequentiam dissoluere iubet. Non modo igitur consensus sponsalitius, cum milite aut chirурgo ad militiam referendo, qui consensum sui chiliarchae legitime non docuit, initus, nullus est, sed etiam arrhae sponsalitiae inuicem datae, cadunt in commissum. Liberis, ex infecuto concubitu, natis, deficiunt naturales. Facultas etiam, Saxonica Lege, a patre uel auo alimenta petendi, deficit. Ius uiri & uxoris cefiat. Successio, quam matrimonium legitimum tribuit, exulat.

Plura non addam, sed potius ad eum me uerto, cuius causa haec scribo. Est is Clarissimus Dominus IOANNES F R I D E R I C V S CLEMENT, cuius uitae curriculum, uti ab ipso conscriptum accepi, omnium oculis exponam.

Natus sum die 2. Junii A. 1697. Patrem habui quondam Virum plurimum Reverendum M. FERDINANDVM CLEMENT, Pastorem Primarium apud Prettinenes, matrem



trem vero MARIAM ELISABETHAM, Georgii  
LAVRERI, Pastoris quondam apud Chremnicenses in Hun-  
garia filiam. Alios ex Ascendentibus meis præter JO-  
NAM CLEMENT, Senatorem Novofoliensem Hungar. & jam  
laudatum GEORGIVM LAVRERV M, nominare haud  
valeo, propterea quod per Parentis & matris præmatura  
fata simul omnis rerum Hungaricarum notitia periit.  
Hisce parentibus debo originem, matrisque obitum  
præmaturum eo magis lugeo, quod matrem vix facie co-  
gnitam habere licuit. Parens vero meus in prima æta-  
te privatis Præceptoribus me formandum tradidit, nec  
minus ipse multa cura, multaque industria me instruxit,  
adeo, ut jussu illius an. 1709. Torgaviam petere pôtuisse,  
sed præmatura mors pii Parentis, quæ Dom. I. Advent.  
an. 1710. accidit, & curta suppellex omnem fere spem,  
studia ulterius prosequendi, præcidit! Et sane aliud vitæ  
genus eligendum mihi fuisset, nisi Avunculus, *Vir Nobis-*  
*lissimus Consultissimusque, JOANNES GEORGIVS LAVRER,*  
*Jur. Pract. & Consul Torgaviensis Senior*, mihi & ad suscipi-  
enda, & ad prosequenda hæc studia denuo princeps &  
autor extitisset. Per quinque enim, & quod excurrit, an-  
nos, quod gratissima mente agnosco, laudatus vir filii  
loco me habuit, & alimenta necessaria gratis suppedita-  
vit. Intra hocce temporis spatium usus sum fideli in-  
structione Domini FECKNONIS, Rectoris Torgaviensis,  
aliorumque, cum primis autem singularia merita & in-  
comparabilem doctrinam Dn. M. JANI, *Con-Rectoris*  
*apud Torgavienses celeberrimi, & Dom. M. SCHROEDERI*  
*Sub-Rectoris meritisimi*, publice praedico, ingenuaque  
fateor, me haud pauca hisce Viris debere. Anno  
clo lccc xvi. die 6. Aprilis Torgaviam dereliqui & Aca-  
demiam hanc petii, ubi absoluto cursu philosophico,  
animum statim ad leges addiscendas appuli. Exellen-  
tissimosque JureConsultos Dn. B. HORNIV M,  
WERNHERVM, GRIEBNERVM, BASTINELLERVM,  
MENCKENIV M, BERGERVM, & KRAVSIVM tam  
publi-



publice, quam privatim, docentes audivi, ut adeo eam, qua potitus sum, jurisperitiam, ipsis omnino me debere lubens profitear. Hoc autem loco memoriam Consolabri mei beate defuncti, *Viri Magnifici Sumineque Reverendi D. MARTINI CHLADENTII, Doctoris & Professoris Theologiae Consummatissimi*, quam maxime veneror, grataque mente recolo, quod commendatione illius *Excell. GRIBNERO* innotuerim, & inter primas felicitatis meæ partes, ab ore jussuque Ejus per aliquot annos pependisse, merito refero. Tam incomparabilis & incredibilis enim hujus Viri erga me fuit benevolentia, ut toties in admirationem me rapiat, quoties de ea mecum cogito. Fuit certe Maecenas, fuit Parens, & verba deficiunt, quibus tanto Viro gratissimum animum ex debito declarerem. Dreslam etiam Excell. *GRIBNERVM*, cum a

## Potentissimo Poloniarum REGE

*Consiliarius Aulicus & Archivarius intimus* constitueretur & eo vocaretur, secutus, & per tres annos apud Eundem commoratus sum. Postea jussu svasuque *Excell. Viri Vitebergam* redii, debitamque curam atque industriam ad solidiorem juris cognitionem, &, quae deesse mihi adhuc observaveram, complenda impendi. Huic instituto etiam diutius immorari mihi licuit, quia Regio Electorali beneficio, quod vulgo stipendium Juridicum vocant, per tres annos clementissime sum adjutus.

Cum hic desinat Candidatus noster in uitiae ac studiorum suorum cursus delineatione, quae restant, addam. Nimirum, quum causis in foro orandis se dare, &, quae didicerat, aliis legendō proferre decreuisset, hanc facultatem ab ordine nostro Iuridico sibi concedi, modeste postulauit. Admissus igitur die II. Martii A. M DCC XXIII. ad examen, quod primum honoris gradum meret, in illo ita stetit, ut Iuris Candidati dignitas ipsi, ut debi-



P 49  
G  
10  
VI

tum laboris praemium, facile decerneretur. Eodem anno d. 17. Iulii in matriculam advocatorum relatus est. A quo tempore praxi cum successu, & administrandae iustitiae, iuriumque ad iurisdictionem pertinentium directioni, ab aliquibus sibi concredite, egregie uacauit. Nec minus studiorum morumque Magister nonnullis datus praepositusque est, eorumque labores sua opera promouit. Breui abhinc secundum examen, quod rigorosum appellant, sustinuit, & eam, quam in iure habet, peritiam ac scientiam abunde probauit. Parat nunc publice testari eas, quas fecit in iure nostro progressiones. Sub Praesidio enim Viri Magnifici atque Excellentissimi Io. BAITHAS. WERNHERI ICti, Sacrae Regiae Mai. Polon. ac Elect. Sax. a Consiliis aulæ & iustitiae, Facult. Iurid. Ordinarii, sui Ordinis Antecessoris &c. proxima die Veneris inaugurali dissertatione *Sententiam, de Obligatione ex Pacto Sponsalitio, quod uulgo Ja-Wort uocatur, aduersus nouas obiectiones, defendet.* Cui actui ut Magnificus Academiae Rector, Illustrissimus Comes, Perillustris L. Baro, Patres conscripti, Omnium Ordinum Doctores cum Reipublicae nostrae ciuibus, & omnibus reliquis, qui studiis bene cupiunt, interesse, ac celebritatem, sua pergrata praesentia, conciliare uelint, Ordinis nostri meoque nomine maxime rogo, atque contendeo.

Dabam Dominic. XXIII. post Trin.

A·R·S·cō loc cc xxvi

VITEMBERGÆ LITERIS VIDVÆ GERDESIAE.



ULB Halle  
004 057 635




3

1078

f

5b.





ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H· T· DE  
GODFRID·  
MENC

P·  
COLLEGIORVM Q  
FLORENT IVRIDICOR  
PROVINCIALIS IN MAI  
INFERIORIS

LECTORI E

S·

1726

21

23

